

79. Apoc. 6.

De extremo iudicio loquens D. Ioan. in sua Apoc. cap. 6. n. 14. Calum recessit sicut liber involutus. Et iterum cap. 20. n. 11. Vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, a cuius conspectu fugit calum. Sunt mulri, vt R. P. Ioan. de la Haye, qui per celos, spiritus caelestes Angelicos interpretentur, qui magno timore concutentur ob considerationem tantae seueritatis diuinae iustitiae, quanta manifeste aduersus impios ostenditur, ideo ad hoc explicandum per magnam exaggerationem, quanto pauore caeli columnae contremiscant, ac si non valeant subsistere coram iudice sine tremore, dicitur caelum recedere, cum aliis verissimum sit, quod sancti Angeli cum Christo adstant, & ab eius latere nullo modo recedent.

Haye.

Angeli timent.

Thren. 2. Hugo. Custodes Angeli tristatur.

80.

Vel timent Angeli, quia sunt custodes nostri, & cum rei iudicantur, eorum custodes, ac protectores pauent, & timent. Luxit autem murale, & murus pariter dissipatus est. Thren. 2. num. 8. Hugo per murum intelligit caelum Praelatorum, seu hominum; per murale vero custodiam Angelorum. Cum enim coetus hominum dissipatur diuina ira luxit, seu luctum ostendit custodia Angelorum quod metaphorice dicitur de spiritibus beatis, cum semper sint in summo gaudio.

Matth. 24. num. 30. Tunc apparebit signum filij hominis in caelo: & tunc plangent omnes tribus terrae: & videbunt filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa, & maiestate.

Num. 31. Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna: & congregabit electos eius a quatuor ventis, a summis caelorum, vsque ad terminos eorum.

VERSIONES.

Syriacus n. 30. Tunc apparebit signum filij hominis in caelis, & tunc plangent omnes generationes terrae & conspicient filium hominis venientem super nubes caelorum cum virtute, & gloria multa.

D. Cyprian. Et lamentabuntur omnes tribus terrae, &c. In nubibus caeli cum virtute magna, & claritate.

Vat. Pagn. Cum potentia, & gloria multa.

Gracus. Cum magna fortitudine, & gloria

Atius. Cum efficacia.

Syriacus n. 31. Et mittet Angelos suos cum classico clangore magno: & congregabunt electos eius a quatuor

ventis, ab extremo caelorum vsque ad extremum eorum.

Pagninus. Vat. ablus.

Cum tubae voce magna, & congregabunt electos eius a quatuor ventis, ab extremis caelorum, vsque ad extrema eorumdem.

ALTER TEXTVS.

Marc. 13. n. 26. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & gloria. Et tunc mittet Angelos suos, & congregabit electos suos a quatuor ventis, a summo terrae, vsque ad summum caeli.

Luc. 21. n. 27. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate.

EXPOSITIO IV.

VNC. Obscuratis Sole, Luna, ac stellis, parebit, seu vt habet Syriacus, apparebit signum filij hominis, id nempe, quo filius hominis maxime hominibus fuit significatus, notus & celebris in toto mundo, crux eius extirpit, qua nostram redemptionem promeruit. Quamuis esset filius Dei a meritis in sancta cruce operatis, voluit in toto mundo haberi notus, & celebris: Tunc. Iterum hanc particulam repetit Euangelista; ac proinde. Tunc, visa totius orbis perturbatione, ac cruce fulgente in caelo: Plangent omnes tribus terra. Omnes nempe nationes vniuersi, praecipue impij, quorum erit maior pars, lamentabuntur, quia vt inquit Chryostomus, Euthymius, D. Thomas, ex tot signis visis intelligent mundum finiri, ac ex signo crucis cognoscent Christum Iesum aduentare ad iudicandum, ac proinde lamentabuntur, quia in eum non crediderunt, vel quia non vixerunt pro vt eius fides, ac doctrina Euangelica exegerat, & alludit hic Christus Dominus ad locum Zachariae 12. num. 11. In illa die magnus erit plandus in Ierusalem, &c. D. Chryostomus, homil. 77. Tunc, ait, plangent se omnes tribus terra: visa enim cruce, considerabunt, quod mortuo eo nihil profecerunt, & quod crucifixerunt eum, quem adorari oportebat. D. Hieronymus. Recte autem dicit tribus terra: hi enim plangent, qui municipatum non habent in caelis, sed scripti sunt in terra.

81. Syriacus.

Chryost. Euthym. D. Thom.

Zach. 12. Chryost.

Hieron.

82.

Videbunt filium hominis, Christum Dominum venientem, ad iudicium scilicet, in nubibus caeli. Aerei; & dicitur in nubibus, ponitur pluralis pro singulari, & ad magis explicanda Christi maiestatem, & alluditur ad testamentum vetus, nam Deus passim apparebat Moyse, & Prophetis in nube.

Exod. 19.

Exod. 19. Ezech. 1. Dan. 7.

Lucas.

83.

Math. 13. Carthuf.

Chryost.

Hugo. Non dantur electi, nisi ad crucis figuram.

Marcus.

Exod. 19. num. 9. Ezech. 1. n. 4. Daniel. 7. n. 13. Ecce in nubibus caeli, quasi filius hominis veniebat. Dicitur in textu: Cum virtute multa, & maiestate. Seu, vt alij legunt, cum magna potentia, seu fortitudine, & gloria. D. Lucas scribit: Cum potestate magna. Sicut enim primus Christi aduentus fuit in humilitate, ac infirmitate nostrae carnis, quo meruit, vt hic secundus aduentus sit cum potentia multa, maiestate, ac gloria. Gloria enim corporis Iesu maxima erit, eiusmodi qua nulla queat esse maior propter diuinam naturam cum humana coniunctionem.

Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna. Est hic inuertus ordo, vt notant Cornelius, & alij expositores. Nam prius Christus Dominus mittet Angelos cum tuba, seu tubis, ac voce magna, vt omnes mortuos, & sepultos ad vitam euocent, ac ad iudicium citent, deinde ipsi cum videbunt venientem in nubibus caeli: Et congregabunt electos eius. Iussu Domini, ac Angeli voce omnes boni, & mali reuocandi sunt ad vitam, ad iudiciumque coram Christo adducendi, vt patet Matth. 13. num. 41. Tamen electi dicuntur, vt ait Carthusianus, cum ampliori honore, & speciali reuerentia; vel meminit tantum electorum, quia Christus Dominus loquebatur cum suis discipulis, vt eos consolaretur, ac animaret spe tamquam futuros ad vitam, ac iudiciumque coram Christo adducendi, vt ait D. Chryostomus, congregabunt eos Angeli, congregatos autem rapiant nubes: a quatuor ventis, hoc est ab omnibus mundi plagis, a quibus spirant venti. Eurus spirat ab Oriente, Zephyrus ab Occidente, Auster a meridie, Aquilo a septentrione. A quatuor ventis: ait Hugo, ergo in figura crucis, qui in figura crucis fuerint congregabuntur tanquam electi: A summis caelorum vsque ad terminos eorum. Hoc est ab vno caeli termino, seu extremitate vsque ad alteram, nempe a termino vno caeli, & terrae vsque ad alium eorundem terminum. D. Marcus scribit: A summo terrae vsque ad summum caeli. Quod idem est, ac scribit Matth. Ab vno extremo terrae, vsque ad alium extremum caeli, & terrae.

existimant. E contra vero ipsammet crucem maligneam diuina redintegrandam potentia, & in die iudicij, in caelo ostendendam omnibus hominibus docent N. Doctissimus Vvaldens. tom. 3. de Sacramentali tit. 20. c. 158. D. Ephrem lib. de vera poenit. c. 4. D. Chryost. homil. de cruce, & Latrone, ait: Crucem solam non reliquit in terra, sed se cum eam leuauit ad caelum, & ideo cum ipsa veniet, cum ipsa secundam gloriosam suam praesentiam faciet. Et haec sententia mihi magis placet, quia quod ipsamet crux appareat, ad gloriam Christi pertinet, qui per eam nos redemit; & multum conducit ad consolationem sanctorum, vt ipsamet crucem videant, per quam Christo crucifixo in vita per veram poenitentiam, & mortificationem se conformare studuerunt.

Secundo. Dubitatur de tempore, quo crux apparebit. Abulens. cap. 24. Matth. q. 171. & 172. Clemens Papa lib. 7. constit. c. 3. & alij existimant crucem apparituram in aere paulo post mortem Antichristi, multis diebus ante aduentum iudicis. E contra vero D. Chryost. D. August. D. Cyrill. Ierosolymitan. & alij Patres citati in exordio quaestionis, & communiter Recentiores Iansen. Barradas, Cornel. cum Suar. tom. 2. ad 3. part. disp. 57. sect. 21. affirmant hoc crucis vexillum ab Angelis ante conspectum Iudicis Christi deferendum, tanquam trophaeum victoriae, ac insigne regale excellentissimae eius potestatis, & imperij. Ex quo infero quod finito vniuersali iudicio, ipsamet crux lignea sit reponenda inter choros Angelorum.

Tandem; hoc crucis signum in ipso vniuersali iudicio apparebit in singulis electorum frontibus. Iuxta illud Apocalyp. 7. n. 3. Signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. Ezech. 9. n. 4. Signa thau, (id est signum crucis) super frontes virorum gementium, & dolentium.

Tertio. An vero reliqua passionis instrumenta, vt columna, flagellae, corona (pineae, clauis, lancea, spongia, sint appariturae in die iudicij? Affirmant D. Th. opusc. 2. c. 244. Viger. c. 21. §. 2. vers. 6. Salmeiron, & alij ob rationes dictas, & dicendas quaest. seq. de cruce, & hoc probabile est, tamen non est certum; neque habet fundamentum in scriptura, neque in Patribus.

Quarto. Quanta gloria, ac fulgore. Crux apparebit mira ac mirabilis sane. D. Chryostomus, homil. in cruce, & Latrone tom. 6. eleganter sic ait: Vides quanta sit excellentia huius signi, quanta claritas, quantum fulgor? Sol obtenebratur, Luna non splendet, astra cadunt, illud vero solum apparet, vt intelligas, illud Luna splendidius, & Sole fulgentius esse. D. Laurent. Iustinian. in ligno vitae. cap. 4. Considera, ait, quanta sit virtus crucis; in die namque iudicij Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, vt discas quantum crux Luna lucidior, & Sole splendidior sit, apparebit tunc crux. Quid praestantius dici potest de crucis signo? Vbi Sol, Luna, stellae, se se homini subtrahunt; vbi virtutes caelorum mobilitatem praetendunt, sola crux vt vera lux fulgens apparet, vt te illuminet, tibi que ducatum praestet.

Ait Regius Vates. Psalm. 4. n. 7. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Septuaginta iuxta radicem hebraicam legunt signum, seu vexillum super nos lumen vultus tui; sed quodnam est hoc vexillum quod in nobis est lumen, & lux diuini respendoris, crux nempe; ipsa enim est signata in frontibus electorum, vt dixi

86.

Abulens. Clom.

In caelo collaudanda.

87.

De aliis passionis instrumentis.

88.

89.

Chryost. Crux fulgebit super omnia mundi lumina.

Laurent.

90.

Psal. 4. Septuag. Crux nos illuminat.

QUESTIO XII.

Quando, & quomodo, quantaque luce crux apparebit in iudicio finali?

84. Signum Christi eius crux. Chryost. Hilar.

IGNVM filij hominis in iudicio futurum, magno consensu docent Patres, & expositores in praesenti D. Chryostomus, D. Hilarius, D. Hieronymus, Beda, Euthymius, Theophylactus, Albertus Magnus. D. Augustinus, sectm. 130. de tempore D. Leo epist. 97. ad Leonem August. Et alij communiter. Et hoc canit Ecclesia. Hoc signum erit in caelo cum Dominus ad iudicandum venerit: Et vt ait D. Cyrillus, Catech. 15. Signum verum, & proprium Christi est crux. Per crucem enim Christus est notus, & honoratus in toto mundo, vt dixi in expositione.

85.

Anselm. Anton. Abulens. Iansen.

Primo dubitatur. An ipsamet crux lignea sit in caelo conspicienda, an illius effigies, ex splendore formata aere. D. Anselmus in elucidario. D. Anton. 4. part. tit. 24. cap. 11. §. 5. Abulens. Iansen. & alij ex aere efformatam apparituram Sylueira in Euang. Tom. IV.



Hefychius.

in hac quaestione, ipsaque est vexillum filij Dei, quae nos illuminat, à nobisque omnes tenebras depellit. Hefychius in Cantic. Lumen autem Christi, ait, crux est, quod orbem illuminavit, quo nos in frontibus signavit.

92. Abulens. Richardus.

Egresso populo Israël de Aegypto prouidit Deus vnam, & eandem columnam iuxta Abulens. Richardus, Victorinus, & alios, quae die instar nubis obumbrabat ab aestu Solis, nocturno tempore sic fulgebat, vt clarissimam noctem efficeret. Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo. Exod. 13. num. 12. Sic & suo populo Christiano Deus largitus est alteram columnam, crucem nempe, quae nos ab aestu tentationum defenderet, ac inter huius mundi tenebras nos illuminaret, duceret, ac dirigeret in salutem. D. Gregor. Nazianz. Gens de extrema hominis vilitate. Ego, ait, relictis omnibus crucem vnam habeo, quae tanquam clarissima columna vita mea praeleat. Vide supra cap. 6. n. 12. 13. 14. c. 16. n. 95. 96. 97. c. 42. n. 105. 106.

Exod. 13. Crux nos illuminat, ac ducit.

Nazianz.

QUESTIO XIII.

Quare Crux apparebit in iudicio vniuersali?

93. Chryost. Theophyl. Euthym.

RESPONDENT. Primò D. Chryostomus homil. 77. in Matth. Theophylactus, Euthym. Qui ait. Apparebit crux ut exterrere precipue Iudeos, deinde gentiles, qui Christo improperebant crucem: & vt sciant, quod hic ipse, tanquam Deus descendit. Veniet crux coruscans super omnia mundi luminata per ipsam, per quam impij improperebant Christo, eique tanquam ignominiam obiciebant, confundantur, ac ignominia afficiantur, videntes eius gloriam, & exaltationem. Sit ait D. Chryostom. homil. de Cruce, & Latrone. Cum cruce Christus veniet, vt hi, qui eum crucifixerunt, sus sentiant dementiae cecitatem.

94. August.

Tertiò. D. Augustin. serm. 101. de tempore. Dedit hoc lignum, ait, fructum in tempore suo, dedit fructum interim Domini resurrectione, dabit, & cum apparuerit de caelis ille, qui visus est super terram, cum procedente ipso crucis signo iam fulgido uenerit de supernis; tunc resurgent corpora sepulchrorum, tunc exultabunt sancti in gloria, tunc in ipsis cubilibus laetabuntur, qui nunc de sui regis, ac Domini cruce non confunduntur, sed potius gloriantur. Apparebit Crux, vt omnibus fiat manifestum, ex qua origine, ac arbore omnium gloriae, ac exaltationes pullularunt, ac emanarunt.

95. D. Thom. Potestas iudicialia per crucem comparata.

Tertiò. D. Thomas in Commentar. Matth. Crux apparebit, ait, vt significetur iudicialiam potestatem per crucem comparatam. Quarto, vt innotescat Christum pro omnium salute fuisse crucifixum, ac proinde ingratos esse, & inexcusabiles, qui tantam eius charitatem, ac misericordiam neglexerunt. Vnde D. Chryostomus in Imperfecto sic introducit Christum loquentem homil. 49. Ego, ait, propter vos alligatus, & delusus, & caesus, & crucifixus sum, ubi est tantarum mearum iniuriarum fructus.

96. Hugo.

Quintò. Eleganter Hugo ex D. Chryostom. Tunc apparebit, ait, signum filij hominis, id est crux in aere, crux apparebit sole luculentior existens: & non est necessitas accusationis, cum viderint crucem.

Veniet in iudicio ipsa crux, quae gratiarum extitit fons, & copiosa redemptionis officina, omnibus caelestibus beneficiis exundans, dum tamen ante reos proponitur: Non est necessitas accusationis, cum viderint crucem. Ipsa enim ingratitude, duritiem, ac impietatem accusabit, arguet, & damnabit.

Quod etiam eleganter dixit Eusebius hom. 4. ad Monach. Prima enim, ait, erit in reos intoleranda sententia reuerendarum praesentia cicatricum. Quid igitur illo tempore facturi sumus, quando contra illos crucifixi Domini liuores, nota peccatorum nostrorum, ac macula libidinum profuerint? Aut quo putas vultu respicit redemptio nostra perditionem nostram; illa vtrique clauorum signa bonis salutaria, malis terribilia. Ipsa sacra crux, ipse cicatricum liuor, cum praesentantur, ipse eorum aspectus reos verberat, & damnat; nam ipsa tam benefica opera ostensa, oris sententiam anteuertunt, & condemnationis promulgatione reos praedamnant, poena afficiunt, & verberant. Prima erit in reos intoleranda sententia reuerendarum praesentia cicatricum.

Valde mirum quod cum Iudaei peccarent apud vitulum adorantes. Exod. 32. n. 6. Tamen Deus eis quotidie mane caelestem panem largiebatur; sicut & filius Dei veniens in terra, quae multis iniquitatibus, & peccatis abundabat, tamen largissime curationis dona exhibebat, cur ingratos illos, & omnino perdendos Deus tot, tantisque beneficiis afficit. Pulchre rationem excogitauit D. Gaudentius serm. 9. ad Neophit. Nolebar, ait, se panem caelestem, vite principem Iudaeis cito subtrahere, donec ipse in carne adueniens doceret eos, & instrueret, verberaret curationum beneficiis eos, qui ingrati existerunt. Ingrati, & rebelles Iudaei multis ditabantur caelestibus donis, pane caelesti, & languorum curatione, quibus dure, & acerbè verberabantur; recipiebant enim illa diuina beneficia existimantes se à Deo summè amari, & foueri, & in illis recipiebant inter se vocem quandam contra eos clamantem, & flagellum quoddam inundans, nullo enim durtiore verbere affligi poterant, quam dum sic ingrati, & impij beneficia, & fauores ex diuinis manibus capiebant: Verberaret curationum beneficiis eos. Pro quo etiam facit D. Zeno serm. 11. in Exod. sic ad populum Iudaicum loquens, ait; Ereptus es ex Aegypto, ait, columna nubis te perduxit per diem vt ostenderet caelum: ignis columna per noctem, vt admoneret arsurum: Angelus praenius tua castra promouit, vt etiam praesenti Deo probareris ingratus. Per mare pedibus ambulasti, vt patereris in terra naufragium, ad hoc sanè in eremo aquam de petra bibisti, manna de caelo gustasti, vt cum esses ad egestatem postmodum deuolutus, praeteritorum bonorum recordatione acris torquereris.

Sapiens, ac prudentissima Esther 5. num. 4. cum considerasset crudeles insidias Aman contra se, ac populum suum machinatas ipsum hostem cum rege inuitat ad prandium. Si regi placet, ait, obsecro vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium, quod paravi. Ad quid sapiens regina tuum hostem vis excipere conuiuium? Ad quid tam illustri beneficio nobilitare, tamque insigni honore afficere, vt simul cum rege accuber in conuiuium? A patruo, ac nutricio tuo Mardocheo admonearis, vt regè ad eas conquestura de Aman, & tamen illi paras regias dapes. Vocat ad conuiuium, vt tanquam crudelem feram edulio deprehenderet.

97. Euseb.

Cruce dat sententiam contra impios.

98. Exod. 32.

Gaudent.

Zeno.

99. Esther 5.

Rupert.

& vt ipsa beneficentia magis eum accusaret, ac argueret, quam quaecumque alia vox humana, cum mortem illi pararet, à quantis donis fuerat sublimatus. Rupertus lib. 8. de Victoria Verbi. Veniat inquit, Rex, & Amman ad conuiuium, quod paravi eis: Feram immanem, vrsum ferocem, vt tradatur ad supplicium, allicit ad edulium.

QUESTIO XIV.

Quare Christus veniens ad iudicium dicitur Filius hominis?

100.

PRIMò. Inquiro cur Christus veniens ad iudicium, non dicitur filius Dei, sed filius hominis, sicut & ipse Dominus dixit Pontifici. Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, venientem in nubibus caeli. Matth. 26. num. 64. De hac appellatione multa variis in locis dixi.

Math. 26.

101.

In praesenti tamen dicitur filius hominis. Primò vt denotetur, quod vt filius hominis per sua opera illam iudicialiam potestatem promeruisse. Secundò cum esset in infirmitate, ac humilitate nostrae naturae inter homines, dicebatur filius hominis; idèque nomen retinet, cum apparet in gloria, ac maiestate. Tertiò. Delicta sunt contra Christum Dominum prout verus Deus est, cum tamen venit in iudicio ad illa punienda, venit tanquam homo, filiusque hominis dicitur; è contra verò principes seculi, ac persequuntur, & veluti annihilare intendunt. Sic Iob: dixit amicis suis, qui falso eum in multis peccatis accusabant, in multisque calumniabantur. Quare persequimini me sicut Deus. Iob 19. num. 22. Quarto. Vt ait D. Augustin. tract. 19. in Ioan. Forma illa erit iudex, quae stetit sub indice, illa iudicabit, quae iudicata est. Aequum est, vt qui iudicatus est, iudicium exerceat. Vide tom. 3. cap. 2. quaest. 6. num. 42.

August.

QUESTIO XV.

Quare Christus Dominus venit ad iudicium non sedens super Cherubim, vt olim, sed super nubem?

102.

PRÆSENS quaestio inquit quare Christus Dominus dicitur veniens in nubibus. Nam olim dicebatur sedere super Cherubim. Qui sedes super Cherubim. Psalm. 79. num. 2. & 98. n. 1. Ad quaest. Primò. Respondet Origenes homil. 30. Siquidem ne terram calcaret filius Dei in Hierosolymis, diligentes eum statuerunt vestimenta sua in via, ne asellum, qui portabat eum, terram calcaret; quid mirum si Pater, & Deus omnium, nubes sternat caelestes, sub corpore filij descendens ad opus consummationis. Cum Christus Dominus ingrederetur ciuitatem Ierusalem. Plurima turba statuerunt vestimenta sua in via. Matth. 21. n. 8. Pro honoris causa, ac pro glorioso triumpho vestimentis suis sternebant homines viam, per quam transurus erat Dominus. Veniens ipse ad iudicium, venit

Nihil honoris ac gloria datur à mundo, quod cumulatissime non praestetur à Deo.

in nubibus, nubes enim lucida Deo sunt pro vestimentis. Iuxta illud Psalm. 103. n. 2. Amictus lumine sicut vestimento. Strauerunt ergo turbæ vestimenta sua Iesu procedenti; Non mirum, quod eidem in ostensione gloriae Pater sternat lucidissimas nubes, vt vestimenta. Nihil enim datur à mundo, quod Deus abundantissime suis in gloria non exhibeat.

Psalm. 103.

Secundò. Origenes citato loco. Si beati homines, ait, in nubibus rapiuntur in aërem, quid mirum est in nubibus filium Dei venire, cum virtute, & gloria multa. Ait Apostolus Paulus 1. ad Thessal. c. 4. n. 16. Deinde nos qui vivimus, qui resedui sumus, simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aëra. Iusti degentes in terra rapiuntur in nubibus obuiam Christo, non mirum ergo, quod Dominus veniens vt pastor segregare oues suas, videns illas rapi in nubibus, simul & ipse appareat in nubibus, excellentissimi enim pastoris, ac praefulis est ouium suarum statum tenere, & non refugere.

103. Origen.

1 Thessal. 4. Bonus pastor suarum ouium non refugit statum.

Tertiò. Non super Cherubim, sed super nubes venit Christus; nubes componuntur, ac generantur ex vaporibus terrae, in nubibus ergo ad iudicium procedit Christus Dominus, vt denotetur, quod seueritas, ac rigor illius iudicij ex terra, ex nostrorum nempe peccatorum exhalationibus originatur, & pronenit. Pluit Dominus super Sodomam, & Gomorrhiam sulphur, & ignem. Gen. 19. num. 22. id est cecidit tunc admodum pluuia densissimum sulphur ignitum. Vt supra hoc cap. notauit. Cur non dicitur. Cecidit ignis Domini, vt super holocaustum. 3. Reg. 18. n. 38. sed pluit ignem; merito ille ignis cadens de caelo dicitur pluuia, vt significaretur, quod sicut pluuia ex terrae exhalationibus nascitur, ita illa rigida poena sulphurea, ac ignita ex peccatorum vaporibus excitata, ac proueniens erat. Iterum redeat Innocent. III. supra datus. Non misisse dicitur, ait, sed pluisse quatenus ipso verbo magnitudinem, & abundantiam poena denotaret.

104.

Rigor iudicij ex nostris peccatis.

Genes. 19.

3. Reg. 18.

Innocent.

Threnor. 3. num. 13. ait Ieremias. Misit in rebus meis filias Pharaeae. Rarus, & extraordinarius modus loquendi, quis vnquam sagittis assignauit matrem, per filias pharaeae intelligit Propheta supplicia in populum immissa ob illius peccata, vt interpretantur Origenes, Paschas. Glossa, & alij; denotatur ergo, quod sicut ille, qui pharaetram facit, exhibet matrem sagittis: sic & qui peccatum committit, praebet causam, & originem omni supplicio in se immisso.

106. Threnor. 3.

Origenes. Paschas.

Matth. 25. Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae.

num. 31.

Num. 32.

Num. 33.

Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut Pastor segregat oues ab haedis. Et statuet oues quidem à dextris suis, haedos autem à sinistris.

VERSIONES.

Syriac. n. 31. Cum venerit filius hominis

E E c c 4 super